



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 12. Quomodo dubitans practicè debeat se resolvere, antequam operetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

men practicum de honestate operationis : utraque sententia fortè conciliabitur, dicendo , quamvis determinatè non requiratur iudicium, tamen ut peccetur operando cum conscientia dubia, requiri saltem exercitam cognitionem malitiæ operationis cum tali dubio factæ, (uti colligetur ex dicendis l. 5. à n. 16.) quam *Carden.* n. 17. dicit certò haberi, hoc ipso quòd operetur cum dubitatione de malitia operationis, quia ad dubitationem illam subsequitur timor & fuga mali , ergo sufficienter agnoscit malum. *Nec obstat*, quòd ad mortale requiratur advertentia plena malitiæ, uti dicitur l. 5. n. 16., *nam* hæc adesse potest ex vi dubii practici, sicuti sufficientem advertentiam ad nocumentum v. neni habet ille, qui practicè dubitat, an hoc, quod videt, sit serpens an piscis. Addit n. 22. probabile esse, quòd semper resultet aliquod iudicium directum vel reflexum, cùm enim advertat malitiam, lumen naturale statim dictat malum esse eam non timere & non fugere, & sic defendi potest *Salas*.

78

Q. 12. Quomodo dubitans debeat se practice resolvere, antequam operetur. R.

§. I. Ad hoc, ut se prudenter resolvat, duo requiruntur, 1. dubium speculativum, quod habet, debet esse invincibile, id est tale, ut adhibitâ debitâ & pro conditione personæ ac circumstantiarum moraliter possibili diligentiam in inquirenda veritate, nihilominus dubium perseveret: 2. Debet adesse causa aliqua rationabilis movens ad eligendam alteram

79

contra dubium speculativum, e. g. speculativè dubitans, an hac die sit indictum jejunium, practicè autem dubitas, an tu hîc & nunc tenearis jejunare; ut prudenter te resolvas formesque dictamen practicum, quòd jejunare non tenearis, debes ante omnia adhibere

adhibere moralem diligentiam ad vincendum illud dubium, & ad cognoscendam veritatem, sitne hodie indictum jejunium necne, v. g. inspiciendo Calendarium, interrogando alios: si non possis deprehendere veritatem, tutius quidem erit, si jejunes, at tamen poteris te practicè resolvere in alteram partem contra jejunium, judicando te non obligari, pro quo judicio habes rationabile motivum, quia nempe possessio est pro tua libertate, neque illa lex jejunii tibi sufficienter est applicata, quia alii viri prudentes de hoc jejunio nihil sciunt vel non jejunant &c. tumque non peccabis omittendo jejunium: è contrà si te resolveres ad non jejunandum ante adhibitam moralem diligentiam in rescienda veritate, aut sine motivo, quia nempe nolles dubitare, peccares, quia prudenter te non resolveres contra dubium speculativum, ita *Sporer* n. 74.

§. II. Ex dictis patet, dictamen practicum formari posse stante dubio speculativo; nam etiam judex ita ferre potest sententiam, ut dubium speculativum non deponat, si enim ipsi non constet, pro qua parte sit jus, potest speculativè dubitare, & nihilominus carere dubio practico, sed sententiam ferre pro una parte, pro quo regulam habet, nempe *quando de jure non constat, pro illo stare debeo, pro quo est possessio vel major probabilitas.*

Q. 13. Quid circa conscientiam perplexam sit addendum R. seq.

§. I. Ille dicitur habere conscientiam perplexam, qui putat se peccaturum, sive actum ponat sive omitat, sive hoc sive illud eligat, & tamen unum illorum debet eligere: ut autem non peccet ille, qui habet conscientiam perplexam de opere postea faciendo, tenetur adhibere media ad perplexitatem tollendam prius, quàm tempus operis exequendi adveniat, quia